



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiquo Veroque Eius Insvlae Qvam
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

Aurelius, Cornelius

Antverpiæ, 1586

Illvstri Ac Generoso Comiti Ac Domino, Henrico Comiti A Nassav,
Ser[enissi]mi, ac potentißimi Caroli Regis Catholici in Hollandia vicario,
Corn. Avrelivs, S. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38123

I L L V S T R I A C
 G E N E R O S O C O M I T I A C
 D O M I N O , H E N R I C O
 C O M I T I A N A S S A V , S E R^{mi},
ac potentissimi Caroli Regis Catholici in Hollandia
vicario, CORN. AVRELIVS, S. D.

*

Decet principium.

ET quid interim oculos huc illucque vertimus? quandiu inter sacrum & saxum hæremus? Cur vltro nostram profiteri differimus insufficientiam? Si enim omnia quæ mundus habet preciosa tibi Comes inclyte offerendi nobis adesset facultas; longè tamen inferiora tuis in nos meritis meritò censerentur. Tanta enim nobis & Patriæ præstitisti, vt si totum vitæ nostræ tempus in tua occuparetur obsequia, non possemus cum sancto illo Iob in sua restituto, vel vno promille respondere, neque in eo quod tibi debemus par pari referre, neque in minimo compensare. At plurimum nos interea consolatur Aurelius Augustinus pater noster, nostræque militiæ princeps, qui planè confitetur, numquam ante Opt. Max. Dei oculos vacuam esse manum à munere, si circa pectoris sedem repleta est bona voluntate. Ergone debemus omittere quod possumus;

F s quando-

quandoquidem id quod debemus minimè
possumus? Absit. Nobisenim piissimum sal-
tem affectum, & locupletissimam volunta-
tem, dum res non suppetunt, conuenit ape-
rire. Virtutem itaque tuam & meritum,
Generose Comes, prædicare quidem atque
extollere, sed nulla rerum facultate possu-
mus remunerare. Quapropter quod manus
nostra minimè præualet, ipsum certè oris
nostri officium offerre non prætermittet.
Dignum est enim & rationi consentaneum,
vt vel ex fructu laborum ipse laudem acci-
piat, quem rerum gestarum dignitas cunctis
commendat. Moderatrix quippe omnium
rerum censuit antiquitas, vt dignum laboris
sui precium accipiat, qui publicis vtilitatibus
inseruire non detrectat. Paramus itaque vir-
tuti tuæ quantum maximè possumus; daturi
amplius si potuissemus. non vtique ista tem-
poralia, quæ temporis morbo deficiunt; sed
ære perennius monimētum, quod nulla vn-
quam obliteret ætas, nullus absorbeat ignis,
nullum denique seculum absumat. Quo-
circa ne nihil pro nostra tenuitate tam fideli
patrono & conseruatori nostro dedisse vi-
deamur: offerimus tibi, magnifice Comes,
hoc tenue carmen tuo dicatum nomini,
quod te apud posteros immortalem prope
efficiat.

efficiat. cui profectò Ægypti pyramides, Apellis tabulæ, & Lysippi marmora facile cogantur cedere. Omnia quippe stemmata, ceras & imagines, inciso sc̄q. in æ titulos producta annorum series, obiter demolitur. Sola scriptorū monumenta, ipsa etiam ætate, quæ suo morbo omnia debilitat, fortius inualescunt. Nec mirum cuiquam videri debet, vel tantillo te à nobis remunerari beneficio, cui etiam & nos & omnia nostra meritò debemus. Nam quòd còmodum viuimus, quòd rem domesticam familiaremque saluam tenemus, quòd deniq. peregrinas in sedes dispersi non sumus, id omne tibi vni atq. adeo vni adscribimus; præter te nullum aliū, post Deū; nostræ salutis habemus authorem. Tuo vnus auxilio seruati sumus; qui & nobis alter factus es Iudas Machabæus, dum non solum Augusti castrum, sed & * Augustini ^{+ Hen-} claustrum tuo gladio protexisti. ^{donck.} Te itaque meritò Henrice nobiscum omnes maximo Reipublicæ præsidio sentiunt, & perenni in posterum memoria tenebunt. Atque utinam tua certè præsentia vultuq; honorando nobis aliquando frui liceret; videres procul dubio omniū nostrum in te vota propendere, gliscere desideria, & singulorū pectora tibi esse deditissima. Vale nostræ decus Batauiæ.

G E N E -